


H. Eorm.


V

An 267

Ind. XXVII. 114

RR. 21. 43.





SPONGIA ABSTERSORIA,
CONTRA MACVLAS,
Q V A S

B R E S L Æ

SILESIAE METRO-
POLI, ADSPER-

gere conatur

A B R A H A M V S
B Z O V I V S,

Ordinis Prædicatorum Monachus,
Monasteriorum eiusdem Ordinis
per Silesiam Vicarius, Cœnobij
quod BRESLÆ est ad D. AD-

ALBERTUM, quondam
P R I O R,

Adhibita à

M. DANIELE HERMANNO,
BRESLA-SILESIO.


L I P S I Æ,

Excusa per LAURENTIUM COBER.

Anno M. DC. XIV.

Y40421

Ex
Hereditate
Steinwehriana



BR AHAMVS BZOVIVS,
Ordinis Predicatorum Mona-
chus, Monasteriorum ejusdem
ordinis per Silesiam Vicarius, Cœ-
nobij quod VVratislavia est ad
S. Adalbertum quondam Prior,

Postquam cum Fratribus sui ordinis ex Polo-
nia, Monasterium S. Adalberti, pulsus & remo-
tis Germanicis fratribus, occupasset, in usitatâ
moroſitate nova plurima moliri, Pacis &
Concordiæ inter cives & clerum vincula, à
multis annis facta tectaque de industriâ rum-
pere, verbo dicam, quamplurima, homine
religioso indigna, bonis quibusq; suspecta,
Civibus vicinis molesta, imò expressis *incluta*
Vrbis privilegiis contraria, patrare cœpit.
Hinc vulgi odium in se suosq; derivavit, quod
plebecula imprudentiâ & *monachorum*, in pri-
mis Bzovij prioris, temerariis ausibus ita ex-
crevit, ut tandem spe & opinione celerius, tu-
multibus & irruptionibus ansam dederit.

Circa an-
num Chri-
sti 1606.

Ann. 1608.
in festo na-
tivitatis
Domini.
feriâ ter-
tiâ.

BZovius verò ut rebus suis quoquo modo confuleret & morbidæ suæ causæ patrocinium aliquod inveniret, omnem culpam à se & *Fratribus* amoliri atque non in *plebem* tumultuantem solùm, sed & *honestos cives*, imò *ipsum urbis Magistratum* derivare conatus est, sparso & divulgato quodam scripto cui Titulus :

TRAGOEDIA *VRATISLAVIENSIS.*

Quo in scripto, quod ipsam facti speciem grandem quidem & per se atrocem, supra modum exaggeras, veniam fortasse faciliorem mereri potuisses : sed quòd *paucorum*, & quidem *promiscuæ plebis* delictum, *toti Urbis* assignas, *BZovi*, quòd *inclutum Senatum*, ac si hac in parte officio suo non satisfecisset, contra propriæ conscientiae dictamen, traducis, quòd *erroneas & mendaces* motuum horum causas assuis, quòd nullâ tuâ *Fratrūq;* culpâ, nullâ occasione datâ, hæc tibi accidisse comminisceris, quòd denique in *Concionum, Dominicalium tomis*, Venetiis primùm excusis, post Coloniae Anno 1612. recusis, maledicæ

lingvæ

lingvæ aculeis & dentatis chartis, ipsam *Urbem VVratislaviam* mordet & arrodit *universam*, sacrilegii, scelerum, libidinum, impunitatis etiam eorundem insimulas, *fæminas & matronas omnes*, sine delectu, sine discrimine, meretricum & adulterarum convictio verberas, *ipse*met impurus & quamplurimis cum indiciis tum testimoniis publicè convictus *scortator*, hæc, inquam, bullatæ tuæ & canoræ nugæ, hæc calumniæ & hæc crimina, sine veri fundamento objecta, spongiam istam adhibendi necessitatem mihi intulerunt. Etsi ergo cum me nequaquam dicam, qui (quod sapientissimi aliàs sibi difficilimum putant) calumniæ silentium indicere, atque os illud effrenis *Monachi* impudentissimum, oppilare possim, fecit tamen mea in *patriam Charissimam*, pietas & reverentia, ut manum operi admoverem, atque omnium oculis animisq; palàm facerem, convitia ista maledictaque, *Monacho* tali, de quibus olim ipse *Pontifex Aeneas Sylvius*, post *Pius secundus* dictus, scripsit:

*Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Infamis Monachus.*

Patre, & Calumniâ matre nata, nutrita, elocataque, *teq;* cum *Fratribus* tui ordinis, vel otio abundantem, vel odio religionis nostræ æstuantem, seditionum contentionumque favillas, quæ postea in flammam istam erumperent, collegisse.

Quod dum facio, tu *Bzovi*, aures arrige & *conscientiam*, si quæ tibi adhuc reliqua; non enim mei cerebri conjecturas tuis objiciam calumniis, sed *narrationem* fide dignam, ex *testimoniis* centum & sex virorum, qui partim per fidem Sacramenti, quod *Magistratus incluti* officiis negotiisque dixerunt, partim interpositâ jurisjurandi sacratione solenni, coram Deo & *Magistratu* effati sunt ea, quæ ipsorummet oculis auribusque visa, auditaque, *desumptam*.

Initio enim adsunt & adservantur quamplures, *Civium* in *Cænobij* confinio habitantium querelæ & expostulationes de Prioris *Bzovij* & *Monachorum* quorundam importunitate.

tunitate, sæpius *Monasterium* apertum, templi fores patulas, & tamen ingredientem ex vulgo, fustibus verberibusque; abactos fuisse: *Monasterium* ipsum, in *diversorium* quasi *publicum* transmutatum, hominibus peregrinis noctu diuque; egressum ingressumque, iis præsertim temporibus, quibus vicina regna intestinis motibus utrinque admodum exposita erant, non sine suspitione, patuisse, *cauponam cerevisiariam* in ipso *Cænobio* à Thaidis tuæ patre, Sperlingo, erectam, infamia sortita, urbe & agro *Uratislaviensi* pulsa relegataque; in *Cænobio* clam detenta.

Hæc Tu fortè levia putabis; quæ tamen contra consuetudinem usu receptam, contra *privilegia publica*, imò talia, quæ non *Adalberto* solum, sed & reliquis *Monasteriis*, imò *Universe Vrbi* periculum creare, motibusque publicis occasionem præbere potuissent.

Porrò, an tu hoc pro nihilo habes, *Bzovi*? è fenestris *Theologos* de Ecclesiâ & Urbe benè meritos, ad officia sacra procedentes, lapidibus convitiisque petere, luporum rapacium

cum titulo allatrare, quin imò, quasi vobis
Urbis & Curiae cura commissa, *Iusticia Praesidi-*
bus, sine cauta, sine ipsorum culpâ, solo nocendi, maledicendiq; appetitu, Zelo non prophético, sed e mentito & fictitio, *fatale* vultu publicè è cathedra, è suggestu, ad langvorem, ad ravim usque declamitare. Quid mirum *BZovi*? si post tot *tuas tuorumq;* seditiosas molitiones, tandem *vindex ille oculus* DOMINI in hæc intueatur, & exemplum statuatur, ut, quisquis videat, quisquis audiat, cum *Aegyptius* exclamet: *hic DEI digitus*. Nonne isthæc vestra intemperies tale quid aliis etiam exprimeret? quod hîc *inconsiderata plebecula* expressum nemo non hodiè miratur & indignatur. Vobis ergo ipsis hæc imputate, qui postquam vigilum excubias à *Senatu* impetrastis, nihilominus tamen adeò ferociter, adeò hostiliter populum in vestris templis exceperistis, nullam *sacro loco*, nullam *vestro ordini* reverentiam habuistis, *candelabris, fustibus, trabibus, flagellis* & id genus aliis armis, *templi* & *Cænobij* arcam egressi, *turbam fugientem*
mediâ

mediâ luce, in mediam plateam usque insectati estis; ministris *Senatus* publicis, vestræ custodiæ inservientibus, pueros ab ipsis comprehensos & *Magistratui* tradendos è manibus ipsimet rapuistis, in *Cænobium* vestrum deportatos, miserè fustigatos, carceri inclusistis, lapidibus & ruderibus è *Monasterij* arca trans murum projectis, pueris tumultuantibus retrò jaciendi materiam satis uberem suppeditastis, *excubitores*, lapidum vestrorum jactus volatusq; impedire non valentes, sustinere non volentes, *vestro malo* abegistis.

Hæc & alia, de quibus tu in *Tragædiâ tuâ* magis quàm piscis mutus, hæc inquam, *promiscuam plebem* sub illud tempus pro more loci plerumq; servitio liberam, compotationibus, pro more suo, sed pessimo, *inclutiq;* *Senatus* animadversionibus obnoxio, indulgentem, concitârunt, ut suos, quos in *Monasterio* captivos detineri sciebant, quâ valebant vi & violentiâ liberarent, *Monasterium* in scio *Senatu* invaderent, excubitores, quos numero & viribus superabant, penitus arcerent: donec
B nec

nec *Magnificus & Nobilissimus Dominus Adamus Dobshitz in Silmenauu, &c. Ducatus Vratislaviensis Capitaneus dignissimus meritisissimus*, ipsemet præsentissimis periculis caput objiceret, concitato equo, paucis civibus, quos temporis angustia subministrabat, comitatus, ad *Monasterium* properaret, plebeculæ furorem singulari prudentiâ & severitate nonnihil compesceret. Qui postquam gravissimâ oratione tumultuantes increpasset, facti atrociam exprobrasset, ad pacis & tranquillitatis studium hortatus fuisset, omnes uno ore clamare se lacessitos, quosdam ex suis captos, sine causâ verberibus exceptos, petere se captivorum libertatem, quod nî factum fuerit, se capitis & vitæ periculum subituros.

Hæc omnia per *excubiarum bellicarum Præfectum* tibi nunciata, quî ergò factum *Bzovi*? quod *Magnifico Domino Capitaneo*, captivos dimitti postulante & præsens periculum indicante, etiam tum *parere renuisti*, claves carceris amissas simulasti, quas, *Præfecto bellico* postulante, postmodum ipsemet dextrâ vestium

stium parte extractas protulisti. Hoccine est nullâ fratrum culpâ, nullâ occasione datâ persecutionem pati? Captivis deinde dimissis, plebeculæ furore nonnihil mitigato, *Domino Capitaneo*, magnâ populi comitantis catervâ recedente, quid interea *Monachi* nostri? num precibus Dei & *Magistratus* auxiliû implorare? num quiescere? nimirum vulnus cicatrice nondum obductum refricare, lapidibus ex editiori loco projectis, tumultuantium iram furoremq; omnem ad *Monasterium* rursum devolvere: & licet è vestigio *Dominus Capitaneus*, nec non *Senatores quâplures alij, civiumq; armata cohors*, promiscuæ plebeculæ denuò resisteret, ita tamē *indomita vulgi multitudo sævit*, ut *Monachi* brevissimo tēporis, & vix *quadrantis horæ* spacio, scientes, videntes, volentesq; experti fuerint, quid sit, *irritare crabrones*.

Nondum tamen *Phryges* isti licet serò satis sapiebant, quin populi irâ vix ac ne vix quidem extinctâ, animis à recenti flammâ adhuc fumigantibus, *Monachi* mediâ nocte, nescio quas turbas, non sine ingenti strepitu

B 2 dant

dant in ipso *Monasterio*, quorum causam indagaturus Domini *Capitanei Minister*, cum *Monasterium* propius accessisset, lapidum è *Monasterio* volatu excipitur, facti indignitate motus, *civium*, plateæ præsidio relictorum, *armatus ordo*, ægrè in officio retineri potuit, quod si tum communi tranquillitati aureæq; paci publicæ potius, quàm seditiosis *monachis* non pepercisset *divina clementia*, intestinorum motuum cadiumq; fecunda mater fuisset *inconsulta isthac Monachorum dementia*. Desine ergo, *Bzovi*, de *Tua fratrumq;* tuorum innocentia, reclamante conscientia, gloriari. Principium verò rei hujus omne, *intra te* quære: quas enim in *Tragædia* sine adducis causas, earum una ab errore est, altera à mendacio. Sic autem tua *Tragœdia*.

Causam prætèxi audio invisum plebi nomen societatis Jesu, quasi illi in Monasterium superinducti, & cucullo religionis nostræ tecti delitescant, eaq; munia Divina à multo tempore intermissa, sed non ita pridem, à biennio scilicet, postliminiò revocata, & à Fratibus religionis Predicatoria,

ria, non sine animarum ingenti fructu iterata obeant.

Verum hîc & Falsum dicis. Verum est, nostrates, novis istis novæ sodalitatis sociis admodum infensos, neq; hoc odium immeritò neq; soli foveant, sed cum omnibus Orthodoxis, multis etiam vestræ religionis hominibus, commune habent. Falsum tamen est, dum hunc affectum hujus ipsius tumultus causam unam fuisse scribis.

Alteram his verbis assignas:

Licet non desint alij, qui spargant Serenissimo Archiduci Episcopo VVratislaviensi, VVratislaviam introeunti hanc fuisse instructam scenam, sed suspensam, non sublatam, donec in eandem pauperes religiosi de nocte introducerentur, actumq; tragicum aspicere & excipere cogerentur, velut oves innocua, ad eadem diu inquisiti.

Hîc te non errare solùm, sed *veritati apertum bellum indicere dico*. Quibus enim argumentis huic tuæ assertioni fidem conciliasti? ad testimonium *Curatoris Cænobiij D. Catharina* provocasti, ex cujus ore tibi hæc audita essent.

essent. Mittitur ad *Abbatem Cœnobij in arena* ut *curatorem* dictum examinet & testimonium ipsius fide & religione juramenti ad *Senatum* festinet, sit rogatum, testimonium publicatur, quid ergo ille? se neq; ab aliis unquam quicquam percepisse, neq; pro se *Bzovio Priori Adalberto* unquā retulisse, sub ingressum *Serenissimi Archiducis CAROLI, Episcopi VVratislaviensis*, tumultum ejusmodi vel instructum, vel instruendum, injuriam sibi hac in parte insignem à *Monacho* inferri.

Non minori falsitate laborat illud, quod *Dominum Capitaneum cum militum Prasecto*, postquam primum tumultus actum represissent, vobis *Prasidium* petentibus, nullo relicto discessisse scribis: Testentur hic cælum & Terra, quos *Bzovius* in *Tragœdia* sine mendaciorum suorum testes citat, annon satellitij *Vrbici Senior* & *Mandatarius*, satellitibus militibusque stipatus, ex mandato *Domini Capitanei Monasterij* curam & custodiam gesserint, qui etiam ab ulteriori incursu illud vindicassent, nisi ab indomitâ multitudi-

tudine, *Monachorum* petulanti jactu denuò concitatâ, superati & ab ipsismet *Monachis* impediti repulsiq; fuissent.

Quam egregiè autem *narrationi Tuæ Tragica* convenit, cum *Epistolâ Tuâ ad Senatum inclutum* scriptâ, cum *Tragœdiam* eidem offerres, cujus initium in gratiam lectoris ex *Autographo* descriptum sic habet:

Quod calamitatem nostram miserati estis, grassantemq; furorem à nostro jugulo submovistis, est cur *Illustri & Amplissimo vestro confessori* gratias habeam sempiternas. Initium & progressus deploranda hujus tragœdia, ut plenius intelligant, hanc *Illustri & Amplissimo vestro confessori* mitto schedam. Censete ab ipsâ fide esse descriptam, nihil in ea amplificatum, nihil confictum.

Ex autographo literarum Bzovii quæ datæ 29. Decemb. Ann. 1608.

Propera jam ad *Fidei & Conscientiæ* tribunal ad quod provocas & quomodo tecum ipso conciliari possis quære. Ego quomodo id fieri queat non invenio. Sed heus! antequâ progrediare, eâdem operâ *Epistola illius*, quam *Amplif*

Verba au-
tographi
Bzoviani
formalia
ex literis
quæ datæ
30. Xbris
Ann. 1608.

Amplissimo Senatui inscripsisti, postquam de *Tragœdiâ Tuâ* tecum fuisset actum, *partem alteram*, *Fidei* iudicio examinandam propone, ea verò ex *Autographo* talis.

Ceterum quod attinet expostulationem Illustris & amplissimi vestri confessus, prolatam per *Illustres & amplissimos collegas vestros*, die hodiernâ, tantum abest, ut ego affingam hanc *Tragœdiam Illustris & amplissimo Senatui*, vel honestis civibus juratis, (quibus nihil magis cordi est, quàm pace publicâ frui) quin potius vestra *Illustria nomina* suspiciam, venerer & colam, atq; extremi beneficii loco habeam, tutelam à vestro & civium præsidio nobis oportunè oblatam. DEUS ter Optimus Maximus recipietur huic amplissimo vestro Confessui, & inclutæ Urbis honestis civibus hanc benevolentiam & patrocinium.

Tuum hîc, Christiane lector, quisquis es iudicium exspecto, quid cum *Monacho isto* agendum amplius: inveharné in ipsum & ex B. Lutheri cathedrâ mercedem istam pro merito tractem? at miser est, cui, cum fidem, pudorem & conscientiam amiserit, perire ampli-

amplius nihil potest: Iudicio DEI relinquam, cumque semel ad *Fidei & Conscientiæ* tribunal accesserit, illorum sententiam ferat, utinam non in æternum: quod, quippe Christianus ego, non opto, interim valdè metuo. Postquam enim in *Fidei & Conscientiæ* foro convictus, condemnatus, & ab omni fide relegatus esset, frontem animumq; obdurare, omnia honestatis & pudoris claustra perumpere cœpit, inq; *Concionibus Dominicilibus Coloniae* recusis, urbem *VVratislaviæ*, illum *Silesiæ ocellum*, cujus hospitio exceptus, præsidio munitus, cujus *Senatum* pro auxilio sibi oportunè oblato laudibus extulerat, ejusdem nomina se veneraturum, tutelamq; exhibitam extremi beneficii loco habiturum, proprio autographo promiserat, cives, quibus nihil magis cordi esse, quàm pace publicâ frui, scripserat, seditionis & scelerum infimulat. At quo merito angvinam istam gratiam incluto *Senatui* honestisque civibus rependis *Monache*? an pro tot tantisq; beneficiis? An idcò, quia *Magnificus Dominus Capitaneus*
C aliquo-

aliquoties præsentissimis vitæ periculis caput objecit ? An quia *Senatores* reliqui, quâ fieri poterat celeritate vobis ipsimet succurrerunt ? An quia *Cives* totâ nocte, pertinaci frigore, vestris capitibus, vestro bono invigilârunt ? an quia *Senatus* gravissimis negotiis posthabitis, ut tumultus hujus causas penitiùs introspiceret, autores & assecclas facinoris, quos tu ab initio vel nullos vel falsos nominasti, indagarent, testimonia *plusquam centena* non sine ingenti temporis sumtu audiit, & cum *Commissariis Divi Caesaris* magnis deliberationibus negotium tractavit. Age ergò, *Bzovi*, iterum ad *Fidei & Conscientiæ* tribunal mecum prodi, & quoniam competentem Iudicem in totâ *Silesiâ*, etiam *Serenissimo Archiduce Episcopo VVratislaviensi* rejecto, agnoscere noluisti, duos istos judices in ipsâ *Silesiâ* imò & extra illam adi, & quæ Tu in *concionibus* sine fide & conscientiâ evomis censenda propone. Ego, ut profligata tua temeritas *lectori* dilucidius appareat, unum atque alte-

alterum ex *concionibus* illis locum proferam & proteram, ex quibus de reliquis judicium facere quivis poterit.

Tomo primo concionum Dominicalium concione primâ Dominicâ III. Adventus, paginâ libri 29. editionis Colonienſis, Anno 1612. in hæc verba scribis :

Quid apud VVratislavienses nuper D. Adalberti Basilica violata ? statuæ Divorum igniusta ? diviniſſimum Sacramentum in cloacam projectum ? sacra supellex distracta, dilapidata, lacerata ? per vim ? per seditionem ?

Rem ipsam, *Bzovi*, egregiè exaggeras, sed alicubi pro re tuâ splendidè mentiris. Quis enim unquam ivit inficias, tumultuantes, honestatis, imò si vis, adde & pietatis, limites transiliisse, & ut tuis utar verbis, *D. Adalberti Basilicam* violasse, atq; uti facere solet indomitus iste furor, neq; Sanctorum statuis, neq; sacra supellectili pepercisse ? Vidit hoc imò verbis factisque detestatus est, *Amplissimus Urbis Senatus*, curâ ingenti & maximè soli-

citâ adhibitâ, ut supellex sacra, per plateas domatimq; disjecta recolligeretur & *Monasterio* restitueretur. Verum hoc carbone notandum, *Bzovi*, quod accusationem de raptu *divinissimi Sacramenti* (tuis utor verbis) quam ne unico quidem apice etiam coram *Cæsarea Majestatis commissariis* probabiliter saltem demonstrare potuisti, novo additamento, cujus in *Tragœdiâ* ne verbulo meministi, repetis & pallias. In illâ enim *pixidem argenteam cû Sacratissimo Sacramento ex assertorio Altaris ablatam*, in Concionibus verò *dignissimum Sacramentum in cloacam projectum* scribis. At unde hoc scis? vidistine? an ex aliorum relatu cognovisti? si alterutrum horum vel utrumque etiam cur ergò vel authorem vel relatores facinoris *Magistratui* non indicasti? Cur, cum de amissâ pixide argenteâ cum consecrato pane Senatui nostro querelam moveres de projectione & cloacâ planè obmutuisti? cur nunc ex alieno demum loco instar canis fugitivi latras? Coram ista facilius expedire potuisses, imò debuisses, si fidem

fidem verbis tuis leviter saltem & ex indiciis quibuscunq; conciliaasses. Sed quid multis? putidum hoc & sordidum de loco sordido est mendacium. Quin etiam prolixam illam & Hyperbolicam de *Basilica Adalbertina* violatione, querimoniam, quâ peregrinis totalem quandam illius desolationem persuadere conaris, ipsa rei *αὐτοψία*, jamdudum refutavit: Cum postmodum *Augustissimus Imperator*, quiq; in *Cæsarea Majestatis* comitatu erant, *Principes, Comites, Barones &c.* sacra solennia hoc ipso in templo celebrarint.

Pergis, Tomo II. concione I. dominicâ ultimâ post Trinitatis pagina tomi 417. his verbis:

Quid Bresla accidit, Bresla vix hominem non Christianitatem, imò nec hominem referente.

Quæ tua vox nec *Christiano* & quidem religioso, nec homine digna. An verò ignoras, *Bresla* non solum homines *Augustana Confessionis*, quos tu hæreticos nominas, sed & *Pontificia* religioni addictos quosdam? in *Gonobiis* in *Arenâ*, in *Insulâ*, ubi sedes *Episcopalis* & templum

templum Cathedrale, ubi tot *Pralati*, tot *Canonici* regulares & irregulares. Quam ineptè fratrum tuorum in *Cænobio Adalbertino* oblivisceris? quantis absurditatibus vel à triviali puero deprehendendis te involvis, Tu qui *Prior*, qui *vicarius* es? Dices illos saltem hoc scommate perstringi, quos præcedentibus verbis *Lutheranos* appellasti: at iterum ineptus & absurdus: num tibi *Senatus* nunc brutescit, cui antea in Epistolâ pro patrocínio, pro auxilio gratias agebas? cujus nomina te veneraturum promittebâs? num honestos *cives* hominum numero jam excludis? quibus nihil magis amicum & charum esse quàm pace publicâ frui, ipsemet fassus. Ex quâ Logicâ didicisti à parte ad totum universaliter affirmando concludere? Ego, ut ingenuè dicam, qui tibi eruditionis & doctrinæ laudem non adimo, non ab ignorantia, sed ex præconcepto religionis odio, livore, calumniâ, nocendi maledicendiq; appetitu (quæ pestes etiam doctissimos quandoque invaserunt) profectum puto, quod sine discrimine, omni

omni non solum Christianitate, sed & Humanitate exuere conaris *Nobilissimam Silesiæ Metropolim VVratislaviam*: at quam urbem? Anno à Christo nato 1095. quæ ante annos plusquam quingentos humanitatis erga exules & peregrinos, reverentiæ item erga *Principem* suum, singulare exemplū fuit; quæ virtutis & pietatis studio *Imperatorum & Regum* animos ita flexit, ut *sapientissimus Caesar* D. FERDINANDUS, quicquid in Urbis istius laudē & commendationem proferri unquam potuit, succincto elógio comprehenderet, cum ad *Fratrem CAROLUM V. Invictissimum Imperatorem* conversus dixisset:

*VVratislavia est urbs pulchra, ibiq;
forma gubernationis optima.*

O felicem *VVratislaviam* tanti præconii tali ac tanto præcone. Quam laudatissimæ memoriæ *Cesar* ille ter invisit, privilegia ejusdem confirmavit & auxit, neque unquam, ut propter religionis emendationem reformationemq; illi irasceretur commoveri potuit, ut ut tum temporis nō deessent viri sanguinem, & au-

& aulica crudelitatis flabella. Quæ ut & uni-
versa *Silesiæ* provincia, religionis rerumq; Eccle-
siasticarum libertatem, non ita pridem, D. Ru-
DOLPHO II. clementissimè indulgente, Po-
tentissimo *Cæsare* MATTHIA confirmante,
peculiari majestatis privilegio consecuta. Ex
quâ urbe, velut ex equo Trojano literarum lu-
mina & columnina prodire. Cujus statuta
& politiæ forma etiam exteris laudata, ita ut
Serenissimus Polonia Rex SIGISMUNDUS III.
in literis de hoc ipso monasterij negocio ad Se-

Ex origi-
nali regio
literarum
quæ datæ
die 12. Fe-
bruarii
Ann. 1609.

natum *VVratislaviensem* missis, sæpè ab aliis do-
tibus maximè tamen ab institutorum disciplinæq;
gravitate ac modestiâ commendatam sibi civitatē
VVratislaviam asserat. Cujus Urbis ritus &
ceremonia Ecclesiastica ita comparatæ, ut, non
incolas solum, sed & aliundè adventantes,
præcipuè verò ex *Polonicâ* gente peregrinan-
tes quamplurimos, ad devotionē accendant.

Quæ ergo te intemperiæ vexabant, *Bzo-
vi*, cum in Concione secundâ, Dominicâ II.
post Epiphaniam celeberrimæ *Urbi*, Tu, qui ho-
spes, qui absens, ulterius ita insultares.

Caro-

Carolus Schmidt inter primarios cives natus
VVratislavia, non nemini *Lublinensium* &
Gedanensium notus, solet de suâ patriâ, licet
ipse quoque hereticus, dicere, quod peragrasset
varias *Italiarum*, *Galliarum* & *Hispaniarum*
urbes, sed quæ magis *Venere* promiscuâq; libidine
sit infamis, vidisse sub sole nullam.

Addis postea:

Ita profecit *Luther* doctrinâ suâ apud istam
nobilem *Silesiorum Urbem*, ne inferior aliis con-
federatis sibi in haresi civitatibus videretur.
Tali doctrinâ imbutæ fœmine ab educatione
paternâ petulantissimæ & naturâ igneâ salaces,
sciunt obsequi, & sive ille vir sit, sive non: rem-
dico, sive agnatus sive cognatus, vocatæ, provo-
catæ, non provocatæ etiam, solentissimè prosti-
tutæ evadunt.

Credo te ex errore natum, ita in iis omni-
bus, quæ hætenus citavi, miserè erras & aber-
ras. Antè vulgi delictum omnibus inhabita-
toribus assignasti, post *Urbi* universæ indiffe-
renter omnem humanitatem adimere cona-

D

tus es:

tus es : jam in *fœminas* & *puellas* stomachosè
debacharis, num ergò illæ Cœnobium ve-
strum arietarunt ? fortè quæ tua est in fœmi-
nas humanitas non adeò sæviisses : At nihil
horum in Tragoediâ commemoras : cur er-
gò illas modò omni humanitate, modò ho-
nestate & pudore exutas scribis ? Tene uni-
versî *Gynacei VVratislaviensis* magistrum &
custodem quis constituit, qui mores &
vitia fœminarum censes & observares ?
Quem verò Calumniæ hujus testem & com-
plicem allegas ? *Carolus Schmidium* inter
primarios Cives VVratislaviae natum. Mo-
do ne tuo more & mendacia & mendaciorum
Fabrum aliquem cudas : quod si vir est, si pa-
triæ, si honestatis, si veritatis amore tangitur,
coram & publicè suam & patriæ famam libe-
rabit, teq; tali testimonio mendacia menda-
ciis colorasse palam testabitur : sin minus,
tua & *illius* par est authoritas, par existima-
tio, eadem utrumque manet pœna, quæ
delatores, quæ calumniatores, quæ perfî-
dos & contra datam fidem perjuros, sepe-
liamini

liamini ambo in perpetuum capulo sempi-
ternæ rupis, ita Tu calumniatoribus alicubi
ipse imprecaris. Interea tibi & testi tuo ali-
um oppono, cumque non ex angulo quo-
piam tenebrionem sed aliorum cùm laudi-
bus, tùm citationibus jam pridem clarum
autorem, *doctissimum gravissimūq; Johan-
nem Michaëlem Brutum*, qui inter alia ad
Andream Dudithium, cum is VVratislaviæ,
quod reliquum habebat vitæ & ætatis, trans-
igere constituisset ; sic scribit :

*Neq; tibi tamen invideo, cui contigit eam
urbem (VVratislaviam) incolere, in quâ consti-
tuit Deus exemplar unicum justissima civitatis
& moderatissima, ubi viget Lex & Magistratus
autoritas, honos virtuti habetur, nequitia plecti-
tur : non personarum sed rerum discrimen, de-
cernit aut premium aut pœnam : ut neque nobi-
litas, genus, divitiæ, sint improbitati subsidio,
neque a premio, obscuro loco emersa, arceatur
virtus. Beata verò Civitas, quæ cum inter mul-
tas opu-*

tas opulentiâ, opibus, frequentia & numero Civium excellat, ita optimis legibus temperata viget, ut in singulis civibus universa civitatis majestas, in civitate universâ privatorum temperantia, pudor, gravitas, quasi uno aspectu conspiciatur. Equidem haut videar mihi plus a quo tribuere, si id dicam quod res est, me Italiam lustrasse, Galliam, Germaniam, Hispaniam, Angliam, regiones ferè omnes, unde sumi documenta certa ad vitam rectè & cum laude agendam, possint: neque adhuc, cum non ita multa sint, quæ hanc civilibus aliis ornamentis æquent: quæ opibus & potentiâ præstent per paucâ, ullam usquam hac unâ graviorem, sedatiorem, temperatiorem videre licuisse: id quod optimis gentium institutis, privatorum moderationi & æquitati est tribuendum.

Satin' ad palatum tuum, Bzovi, hæc & alia virtutis urbicæ suffragia, quæ ad hunc usque diem numero augentur, non quo magis innotescat, quæ celebritatem suam jam ubique diffudit, non quo magis commendetur, quæ oculus & lumen, quæ Sol Silesia, quæ

corona.

corona, quæ regina provincia, quæ flos Europa, quæ urbium Ocellus, tot illustrium magnorumq; Virorum Elogiis judicata est: sed ut nervi invidiæ ac poplites tanquâ gladio quodam & acutissimo mucrone, testimoniis his succindantur, ut calumniæ jugulus petatur, quæ ut immunis & cruenta belua, quod consumere non potest, lacerare satagit. Et quemadmodum in Siculo mari Scyllam quandam esse fabulantur, formosissimam puellam, cujus ingvina perpetuò allatrant canes: ita qui florem Urbis istius ferre non potes, vitia quarundam meretricum, earumque, vel non hîc natarum, sed è vicinis aut etiam remotis locis adventantium, quarum Tu aliquot Cænobiij tui hospitio lenonis instar excepisti, quibus habitationes domesticas ad Cænobium spectantes, contra urbis jus & immunitatem, imò contra omnem honestatem elocasti: vel etiam ex infimâ plebe & vulgi fece nonnullarum fœminarum objicis, totius sexus flori & decori paucarum scelere, at quo jure? detrahis. Nilum quoque Crocodilus habet,

D 3

& ge

& generosissima vina non sine fecibus. Utq;
in *populosissima ista Vrbe* non omnibus idem
ordo, eadem dignitas: ita nec omnibus ad
castitatis & continentiae studium idem ani-
mus. An hoc ingenuitatis est? maximae
partis innocentiam paucarum vitiis meti-
ri? si quae sunt libidinum mancipia, toti
foeminino sexui, etiam iis, quas *avutum*
genus & *virtuosior genius nobilitant*, dicam
scribere? An verò libidines aliaque flagitia
impunita censes *Uratislavia*? ne crede,
cum publicè legibus poenas dent, quicun-
que leges publicas violasse convincuntur.
Quod si *civium* & incolarum aliquis, ea in
Urbe designasset, quae tu in *Cænobio tuo*, jam-
dudum Carnificis ultrices manus expertus
fuisset: ne ergo ideò quia Tu haecenus im-
punè scortatus es, peccandi licentiam *Vrbi*
objicito. Utque *Uratislaviensibus* omni-
bus fraudi aut culpae esse nequit, quod *Cæno-*
bium tuum libidinis & infanticidii infamiâ,
tuâ fratrumque culpâ notatum est, quod
Bzovius in tam florifero Silesiae Viridario pesti-

pestifer araneus, *Cænobij* habitationibus oc-
cultavit infamia urbis rejectamenta, quae
cum semel pudori & honestati renunciarint,
ad libidines & scelera nefanda quasi ex con-
ducto feruntur: ita neque doctrinae *Lutheri*
cum sceleribus & flagitiis auditorum quic-
quam commune. Idem enim esset ac si
quis *ordinem Prædicatorum* universum, to-
tamque *Pontificiorum doctrinam*, ex eo fun-
damento accusaret, quod *Bzovius* ordinis
ejusdem *Prior* & *Vicarius*, *Theologiae Doctor*,
una cum fratribus quibusdam, si non omni-
bus, in *cænobio Adalberto* Veneri & Cupi-
dini, & quidem impunè operatus est. Præ-
terea ubi scelera & flagitia severius puniun-
tur, quàm ubi *Lutheri* doctrina sonat, cum
vicissim obscurum non sit *lupanaria publica*
& alias flagitiorum officinas tolerari apud
eos, quibus doctrina *Lutheri* fudes est in ocu-
lis & unguis in ulcere.

BIBLIOTHECA
WROCLAW

Quod si jam mei instituti esset, non so-
lùm tuos, verùm etiam *tui similium* mores im-
purissimos perstringere, monstrarem tibi
urbem,

urbem, *Breslâ* longè majorem, imò sive suâ, si-
ve aliorum opinione sanctiorem, in quâ
quotannis, *ultra triginta millia coronatorum*,
ex lupanaribus publicis pro censu lactis in fisci
rationem venire scribitur : sed tecum mihi
nunc res est, cujus improbos & seditiosos
conatus, etiam tuæ religionis hominibus
non vulgaris notæ, minimè probari tam scio
quàm me vivere. Nihilominus in alienas
papulas impudenter inveheris, cum teipsum
effera scabies depascatur.

De Camelis refert *Plinius*, quod potu non
gaudeant, nisi obturbatâ proculcatione
priùs aquâ : ne fortasse aqua limpida defor-
mem ipsius repræsentet faciem ; Idem tibi ac-
cidit, *Bzovi*, qui alios nefariis excogitatis sce-
leribus ostiatim diffamare studes, tantùm ut
sub e mentito alienorum vitiorum involu-
cro propria tua scelera delitescere possint,
utque sub hac turbidâ, alienorum, quan-
tumvis effectorum criminum, aquâ, turpitu-
dinem tuam tegere possis. Age ergò, qui pro
more vestro in alienis valdè lynceus, man-
ticæ

ticæ quod in tergo est non vides, siste pauli-
isper gradum, & calumniandi libidini mo-
dum tantisper statue, donec faciem & colo-
res tuos, prout tùm fuere, cum *Uratislavia*
Priorem Cænobiij ageres, contempleris, vide-
bis, nihil quicquam *Uratislavia* hætenus
à te objectum, quod non ex asse tibi ipsi jure
& meritò adscribi possit.

Seditionis & libidinis accusas laudatissi-
mam illam *Rempubicam* : at quis Te seditio-
rior unquam ? ita ut antecessoribus tuis hoc
ipso titulo anteponendus videare. Nolo
hîc ea quæ supra fusius demonstrata repete-
re, hoc saltem addo te ob hoc ipsum seditio-
nis crimen, in *Serenissimi Archiducis Episcopi*
Uratislaviensis totiusque capituli cathedra-
lis, gravissimam reprehensionem incurrisse.
Testes cito literas tibi probè cognitæ, qua-
rum exemplar etiamnum in promptu est,
apud eos, quorum fidem & auctoritatem si
læderes, propria vineta cæderes ; ex quibus
quæ *Serenissimi Archiducis Episcopi Uratista-*
viensis totiusque capituli cathedralis de te sen-
E tentia

tentia sit, jamdudum satis edoctus es. Hinc à quibusdam in tui gratiam cum *VVratislaviâ* exires & *κρίψῃς λόγῳ* fieres tale fuit elaboratum distichon

Queritur, Abramus Breslâ cur pulsus ab urbe

Bzovius? hac causa est, seditiosus erat.

Impuritatem & libidines quod attinet, quid hic dicam *Bzovi*? id cujus tibi maximè conficius, quod curia, quod forum, quod Ecclesiastici & Politici omnes norunt: *Te tuo officio* ita præfuisse, ut qui reliquis fratribus ordine & dignitate *Prior*, scortatione quoque nulli secundus esses. In *virgines & fœminas VVratislavienses* ob scelera paucarum inveheris, qui *Ipsè* inquilini cujusdam in *Cænobio* filiam stuprasti: vis nomen? ne fortè errorem obijcias, qui ignorem quæ & quota ea fuerit, (plures enim te habuisse, ut non dubito, ita non nego) non meis adscribam verbis, sed iis quibus *Tu* cum *Thaide* tuâ & *Filiolo notho* Catalogo viventium & baptizatorum pro mo-

re Ec-

re Ecclesiarum nostrarum inscriptus, hoc modo.

Anno 1609. 5. Octob.

Pater, Prior ad D. Adalbertum

Mater, Barbara (illa Sperlingi filia)

Filius, Abrahamus patri cognominis, &c.

Qui reliquiarum tui *Ceslai* Custos, tuis etiam reliquiis *Monasterium* auctum reddidisti. Qui *Monasteriorum* tui ordinis *vicarius*, meretriculæ operam vicariam ita dedicasti, ut illam legitimo conjugio cuiquam jungi nolles, victum & amictum promitteres, cumq; scin' quando? animæ deliquium pateretur, *Tu ex Monacho Medicus factus*, acetum & rutâ miseram reficeres, & si prole fœcundam fieri contingeret, ut puerperii tempus in peregrino loco, *VVratislaviâ* octo ad minimum miliaribus distante, tuo sumtu transigeret, mandares. *Cautè rem egisti dum non castè.* Sanctitatis autem tuæ ita prorsus oblitus, ut consecratam crucem gemmeam sacris characteribus insignem, auro circumdatam, meretrici honorarii loco offerres.

E 2

Pudeat

Pudeat te de fractis sanctorum imaginibus in templo *Adalbertino* ulterius conqueri, qui *sanctæ crucis* imaginem, mercede venercâ prophanare non erubuiſti. Hæc ne professionis Tuæ sanctitas, quæ in *Priore & vicario* tanti ordinis vel maximè elucere debebat? sed similes habent labra lactucas.

Verba Bzo-
vii iisdem
literis &
syllabis ex
Epistola
ad Sena-
tum missâ
2. Aprilis
Ann. 1609.
Cum in-
fantis ca-
daver à
Fratre A-
damo in-
ventû Se-
natui si-
gnificaret.

Si Priori licebat cum *Barbara Sperlingi filiâ* castitatis votum solvere, etiam *Fratri Adamo* integrum erat *Barbaram* Ccenobii coquam accersere, fortè tum temporis quando absoluto omni divino officio in cellarium ad accipiendas rappas pro prandio (tua verba sunt) descenderet.

In quâ ipsâ cellâ *infantulus feminei sexus* recens in lucem editus, sed, horresco referens, lucis usurâ ab ipsâ statim nativitate privatus, panno involutus repertus est. Horrendum facinus sanguinem humanum in loco religioso effundi, cœdem capitalem & non nisi capite violatoris expiandam, sub ipso *Monachorum refectorio* fieri. Est profectò DEUS qui, quæ vos in occulto gessistis, in apri-

apricum solem protulit: utinam de auctoris personâ certò constitisset pœnas tanto scelere dignas Magistratui dedisset.

Viden' *Bzovi* quam aptè maculæ in ignominiam *Vrbis celeberrimæ* sparsæ, tibi ipsi in faciem resiliant, quibus delendis, universæ orbis aquæ non suffecerint.

Tibi verò incluta *Bresla*, sub umbra alarum omnipotentis

Semper honos nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Tibi studia & scientiam, quæque istis major est conscientiæ fiduciam consecro, quicquid in me est id saluti, id incolumitati, id virtuti tuæ devoveo. Satis nobis modestiæ nostræ constat ratio, si, quæ ferri possunt, ferimus, quæ dissimulari possunt, dissimulamus: Si te verò *Bzovi*, neque *Vrbis* splendor & potestas, neque *Senatus civiumq;* honor & integritas, detertere potest, quin in posterum quoque in obrectatione laudem, in calumniis gloriam quærere audeas: Faxo & ego ut colubrini tui dentes melius obstupescant.

Qui hac vice non orationem comtam & calamistratam, papavere & sesamo sparsam, & ex mellitis verborum globulis contextam, sed integritatem, sed candorem, sed pietatem, sed veritatem, ad defensionem *Patriæ* attuli, quibus *Bzovi*, si ad salivam tuam, pascere, sin secus, ringere.

F I N I S.



